

aperuit, ut viderentur? quas virtutes non docuit, A  
 ut eligantur? Umbra legalium quis ed clarior? my-  
 fterica scripturarum, quis certius? fidei dogmata,  
 quis evidentius detexit, referavit, confirmavit?  
 Quot hæreses dissipavit? *Omnipotentis Dei provi-*  
*dentia factum est,* ait Pius Quintus, *ut Angelici*  
*doctoris vi & veritate doctrina, ex eo tempore quo*  
*caelestibus civibus adscriptus fuit, multa qua deinceps*  
*exorta sunt hæreses, confusa & convulsa dissipa-*  
*rentur: Quod & ante saepe, & liquido nuper in sa-*  
*cris Tridentini Concilij decretis apparuit. Nam us*  
*Joannes Burgenfis loquuntur, nulla ab eius felici trans-*  
*situ Concilia sine Sancto doctore celebrata sunt: ut*  
*enim de cæteris sileam, quod audimus, quod videri-*  
*mus, quod manibus nostris contræctamus, quidni*  
*aperta voce ad ejus laudem referunt: vestra comissa*  
*pendentiæ. Ex plurimo, eoque honorabili doctorum*  
*cætu quotusquisque consultor accedat, qui Divi Tho-*  
*mae auctoritate veluti splendente gemma suam sen-*  
*tentiam non exornet? Ita Burgenfis. Atque hæc*  
 causa est cur sicut pueri ferulam, † ita hæretici  
 Thomam ejusve doctrinam oderunt. Tollantur,  
 ait quidam, è medio scripta Thomæ, cum omni-  
 bus alijs doctoribus certamen subire non recusa-  
 bo.

Oratio,  
 ac Pa-  
 tres  
 Conc.  
 Trid.

† Ga-  
 briel, ep.  
 Clodi  
 apud  
 Niumun  
 3. p.  
 Apud  
 Alva-  
 rez.

O doctor sancte, magnum olim Dominica-  
 norum, nunc totius Ecclesie decus, in orbe cele-  
 braris: Catholici te conditorem antiquæ rursùm  
 fidei venerantur atque suspiciunt; & quod signum  
 majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur, ut  
 quem gladijs nequeunt, voto interficiant. Os  
 tuum sicut aqua vivæ, & venam fontis æterni  
 meritò dixerim, quia fons aquæ salientis in vi-  
 tam æternam Christus effectus est; hauriens au-  
 tem tu aquam in gaudio de fontibus salvatoris, im-  
 pletus es quasi flumen sapientiæ, & ubertate tui  
 fluminis inebriare terram nostram non desinis. O  
 lucerna dignè super candelabrum Ecclesie posita,  
 quæ late Catholicis urbibus de septiformi lychno  
 oleo lætitiæ redundante, lumen effundens, densas  
 licet hæreticorum caliginis disceris, & lucem re-  
 vertis à confusione tenebrarum splendore sermonis  
 purissimi enubilas! O verè sal terræ quo præcor-  
 dia nostra, nec sæculi vanescant errore, condiuntur  
 l O lux mundi quæ ad justitiam multos eru-  
 diens, fulgebis in perpetuas æteritates! Quasi  
 stella matutina in medio nebulae, & quasi luna  
 plena in diebus suis, & quasi sol refulgens, sic  
 fulges in templo Dei. Memoria tua in compositione  
 odoris facta opus pigmentarij, in omni ore  
 quasi mel indolebitur, & ut musica in convivio  
 vini.

Ecce qui olim bos, & mutus bos dicebatur, ejus  
 voci dedit Deus vocem virtutis: & sono doctrinæ  
 ejus replet orbem terrarum.

Quatuor animalium Ezechieli ostensorum il-  
 lud quod faciem bovis habebat cap. 1. habet faci- E  
 em Cherub cap. 10.: quid Cherub, nisi pleni-  
 tudo scientiæ? Thomas qui olim bovis instar,  
 mutus & ignarus æstimabatur: nunc à plenitudine  
 scientiæ Cherub, à vitæ puritate, à doctrinæ  
 subtilitate, ab eruditionis perspicuitate Angeli-  
 cus est & prædicatur. Collaudent ergo multi sapi-  
 entiam ejus, & laudem ejus enuntiet Ecclesia.  
 Laudemus illos devotos oculos qui pissimis fletibus  
 in sacrosanctam Eucharistiam ferebantur: il-  
 las mundiffimas manus, quæ dominici corporis  
 hostiam salutarem pro peccatoribus quotidie of-  
 ferebant, quæ sine ira & disceptatione in oratione

levabantur in cælum, quæ infirmis multa benefi-  
 cia præstitisse, & signis varijs effuluisse noscun-  
 tur, quæ sacris litteris explicandis, theologis  
 difficultatibus enodandis, libris salutaribus con-  
 scribendis indefesso labore vacarunt: Illos quoque  
 speciosos gressus Evangelizantis pacem, Evange-  
 lizantis bona; illos pedes, qui non ad malum cu-  
 rruerunt, sed calcæati fuerunt in preparatione  
 Evangelij: Sancta denique labia sacerdotis quæ  
 custodiebant scientiam: os justus, quod meditaba-  
 tur sapientiam: & linguam ejus quæ judicium lo-  
 quens, imò & misericordiam multis solebat m-  
 deri languoribus animarum (lingua enim sapien-  
 tum sanctus est, ait sapiens Proverb. 12.) quæque  
 velut calamus scribæ velociter scribentis enaravit  
 justitiam & veritatem. Et quid adhuc dicam? De-  
 ficiat enim me tempus enarrantem de Judæis ab eo  
 conversis, de Archiepiscopatu Neapolitano per  
 Clem. 4. de alijs honoribus per Urban. 4. obla-  
 tis, sed recufatis: de ecclasijs, tum in Ludovici  
 Galliarum Regis, tum in Legati Cardinalis  
 Tuscæ menta habitis: de miraculis quibus vi-  
 vus & mortuus floruit: de Cometâ, quæ paucis  
 ante felicem ejus transitum diebus apparuit, & eo  
 moriente disparuit. Sed præcipuum est, ut quem  
 solemnè veneratione prosequimur, etiam simili con-  
 versatione sequamur: Ab eis enim sanctorum in ve-  
 nitate festiva gaudia celebrantur, qui ipsorum exem-  
 pla sequuntur ait Aug. Accendamus ergo ad agen-  
 da quæ docuit, præsertim cum certi sumus cum  
 non aliter docuisse quam fecerit; votisque ardentibus  
 deprecemur, ut possimus, & quæ docuit intel-  
 lectu concipere; & quæ egit imitatione com-  
 plere. Dixi.

Habita in templo PP. Prædicatorum Dunco 7.  
 Martij anno 1613.

ORATIO V.

Quicquid nobis præcipitur, hoc ipsum ut im-  
 pleamus, à Deo accipimus.

**P**roxima festivitas toto venerabilis or-  
 be, quam in Apostolos descendens  
 Spiritus sanctus consecravit; ut aliqua  
 de Spiritus post legem dati necessitate  
 verba facerem, animum impulit. Cum enim  
 idem ille quinquagesimo post resurrectionem die,  
 Spiritum sanctum miserit, qui Hebræo quon-  
 dam populo, quinquagesimo post agni immola-  
 tionem die, legem dederat; manifestissimè de-  
 claratum & seriò voluit animis nostris impressum,  
 gratiam prænunciatam fuisse per legem, sed legem  
 impletam esse per gratiam. Quid enim lex  
 quinquagesimo die lata prodesset, si gratia Spi-  
 ritus quinquagesimo die missi deesset? Doctrina  
 quippè illa quæ mandatum accepterant, littera erat  
 occidens, cum non adesset Spiritus vivificans;  
 jubere tantum noverat, non poterat adjuvare.  
 In tabulis lapideis Forinsecus posita nec vivifica-  
 bat, nec à lege peccati & mortis liberabat. Lex  
 enim sine gratia facit abundare delictum, & litera  
 sine spiritu occidit. Quid ergo dicemus? Lex  
 peccatum est! Absit. Sed peccatum non cognosce-  
 mus, nisi per legem. Quare posita est! ut facere  
 iusta conati, & in nostra infirmitate sub lege fatiga-  
 ti, adiutorium gratia poscere noverimus. Prop-  
 terea enim mandata sua mandavit custodiri nimis, plerumque.

Serm.  
 47. de  
 sanct.

Quare  
 præcep-  
 tum, &  
 ab ipso  
 gratia  
 non po-  
 test im-  
 pleri.